

**Nicolai Lancicij E Societate Iesv Opvcvlorvm Spiritvalivm
Tomvs ...**

Łęczycki, Mikołaj

Antverpiae, 1650

Qvam humiles esse debeat fratres recepti ad obsequia domestica. C. I.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78821](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-78821)

P R O O E M I V M.

CAPVT PRIMVM.

*Quād humiles esse debeant fratres rece-
pti ad obsequia domēstica.*

VT Coadiutores temporales Societatis nostræ, & aliorum Ordinum Laici, seu, ut vocant, Conuersi, vel Donati, ad obsequia domestica manualia ad Ordinem recepti, benè sua Officia, iuxta proprias Regulas obeant, valde estimare debent statum suū, ad quem à Deo vocati sunt, & in eo sua munia obire diligenter, hilariter, & indefessè; vsque ad mortem. Ad hoc autem conduceret, accurata cōsideratio & penetratio intima Monitorum insit scriptoruri.

1. **P**rimū Monitum. Quantis fratres Laici domestici, ad obsequia aliorum recepti, à Superioribus & à Sacerdotibus, & à Clericis Religiosis tractentur, & tractari debeant, tanquam eorum fratres, & filii Dei, non tanquam serui, ipsi ramen ob Christi propter nos humiliati amoreni ac reverentiam, & imitationem, debent se æstimare & getere tanquam omnium seruos, & seniorum reverentia, obseruare alios omnes, tanquam Dominos suos, eisque instar seruorum, exhibere omnia obsequia promptè & hilariter & diligenter, eo modo, quo facherent seruendo ipsi Christo; siquidem Apostolus iubet, Seruos obediri Dominis carnibus (ethniciis) sicut Christo, & seruire sicut Domino & non hominibus. Idque tres ob causas.

2. **P**rimò, quia S.P.N. Ignatius hoc exigit etiam a Sacerdotibus, non tantum ab aliis (prout scribitur in Regula 29. Summarij) vt in omnibus procurent, atque potiores partes alias deferre, omnes in animo suo, tanquam sibi Superiores ducent, & exteriori honorem ac reverentiam, quam cuiusq; statutus erit, cum simplicitate & moderatione religiosa exhibendo. Si ergo etiam Sacerdotes debent interiūs, in animo, alios ac proinde etiam fratres Laicos tanquam suos Superiores reputare & honorete, quantum magis fratres Laici, debent reliquos omnes, tanquam Superiores sibi ducere & exteriori honorare, cū sint à Deo vocati ad talem statum. Et in antiquis Regulis manuscriptis, & ipsius S.P.N. Ignatij manu propriâ glossatis, inter Regulas Praefecti Refectorij Regula 15. à S. Patre prescribitur: Fratrem in officio coadiutoris constitutum, debere semper cogitare, quid seruiat pro amore Dei, eius pauperibus. Ideo P. Didacus E-gua S Ignatij Confessorius, quem olim P. Faber nonquam confuterat, nisi sanctum cognomine, & ipse Ignatius dicebat: Beatos inter suffi-

tiendum in celi sede celissimā, magnificiens officia nostrorum Laicorum, quamvis esset Sacerdos, scriptā schedā, petita à S. Ignatio se ad horum fratum officia applicari, his verbis: Ego Don Didacus de Guia, peto per amorem & reverentiam D. Dei nostri, à Societate Iesu, velut dignari permettere, vt comiter Lieutenantum Aracoz in Hispaniam, non ut sim è Societate, sed vt ei seruam, & faciam omnia illa que mihi mandabit, quia seruendo isti sancte Societati, vel alicui ex illa existimo me seruiturum Domino Deo nostro: & id peto cū omni instantiā quantā possum, ad manus seruitum & landem Diuinae Matris statu. Factum Roma, primo die Quadragesima Anno 1542. Quam schedam S. Ignatius tanti fecit, vt eam conseruauerit in suo Archiuo, à tergo suā manu signatam, quam legi & donauit Collegio Cracoviensi, mihi Romę datam.

Secundò, quia hac ratione plus merebuntur apud Deum, ob exercitium humilitatis, quod elicit in tali modo sua munia obeundi. Nam, humilians se in omnibus, teste Spiritu sancto Eccli. 3.20. à Deo inueniet gratiam. Et ita Deus Pater dial. & describens S. Catharinæ Senensis excellentes conditiones perfectè obedientium in statu Religioso, dixit: Verus obediens, solum cogitando de regno celorum, & quomodo veram obedientiam valeat in se perfectè seruare, & quia per viam humilitatis obseruatur amplius, ipse se subiicit ita paruo sicut magno, ita pauperi sicut diuini: omnium se seruum existimans, nullum aliquando recusando laborem, vi omnibus clausurati seruat. Et Sanctissima Virgo Maria, simil modo dixit B. Iosepho Præmonstratenſi, cùm Baling. tristaret quid propter cutam Refectorij non Ephem. possit ita vacare orationi, sicut volebat: Scias, nihil perinde ex debito tibi faciendum incumbere, quād ut ex caritate seruas fratibus tuis;

Immo quando sunt aliqua officia quæ concernunt etiam seculares, vt est officium Ianitoris & sacristæ, qui coguntur vocare Patres ad instantiam secularium, tunc etiam secularibus ob Christi amore seruire se putent; vocando eos qui queruntur. Hoc enim faciens noster Alphonſus Rodriques, dum esset Ianitor, & accurrens celeriter ad portam, dum aliquis secularis campanulā portæ appensa pulsaret, putans ex devotione, non hominem sed Christum pulsare, hoc meruit, vt apertæ per eum portæ, non semel Christus Dominus & B. Virgo Maria, & Angeli, ingressi sint, & cum recrearent, ac cum eo ambularint properanti ad aduocandum eum, qui ad portam vocabatur. In occupationibus & laboribus secularium, & in lucris mercatorum attenditur materia, malunt enim aurum quam argentum vel plumbum acquirere suis laboribus: at in spirituali negociatione magis spectatur forma quam materia, scilicet finis,

& motuum laborū, qui est, & esse debet Deus,
seu Dei gloria, ob quam Apostolus etiam sequi-
lares vult omnia facere: *Sine mandatis, sine bibi-
tū, sine aliud aliquid facit, omnia in gloriam Dei fa-
cere.* Quod reperit etiam Colos. 3. 17. Quocirca si
ipsa coniectio & corporis honesta refocillatio
ob Dei gloriam facta, non carebit retributione,
quia, ut ait Concilium Tridentinum, *est opus in
Deo factum;* multò maiorem retributionem alia
opera ob Dei gloriam in utilitatem aliorum
facta, & magis pœnalia, merentur suam retri-
butionem apud Deum, qui, ut ait Apostolus,
Reddet unicuique secundum opera eius. Et ita, si cum
maiore affectu labores, acum, vel ollam, vel
forfices, versando propter Deum, plus merebe-
ris, quām alter tepidē suam coronam vel Bre-
ueriarum legendo. *Deus enim, ut ait Philo, Et parua
& magna indicat, creans singula & formans, nec pro-
pter utilitatem materie quicquam subtrahens, nec ad-
dens aliquid propter eius pretium.* In hunc sensum
dixit S. Gregorius Nazianzenus: *Nihil magni es-
timatur apud Deum, quod non pauper quoque donare
possit.* Et alio in loco: *Nihil adeo paruum est si Deo
fuerit oblatum, licet sit minimum, licet sit parvo di-
gnum preio (scilicet ex naturā suā) cui penitus ad-
ditus demegetur, quod non suscipiat misericors illi, dum
pro eo eis offertur.* Ideo Philo. I. quod omnis pro-
bus liber, ait etiam opera ex se seruila non esse
talia si suscipiantur ob excellens motuum; sed
liberalia, ingenua, & propria nobilium. Et ad-
fert exempla militum & Ducum, qui in castris
fodiendo aggeres, portando ligna, pastum, pro
equis, aquam, & alia pro belli & castrorum mu-
nitione necessaria, nil perdunt de estimatione
nobilitatis sua & sanguinis, seruila tractando.
Quātū magis in nostrā Societate, quā in Bul-
lis Pontificis appellatur, Iesu Christi militia, o-
pera Laicorum fratum sunt nobilissima, si be-
nē ob Dei amorem fiant?

4. Tertiō, quia hac ratione maiorem erga Deū
amorem ostendunt, & Christi imitatores erunt,
quando ex eius amore se gerent tanquam ser-
ui aliorum, cūm non sint serui sed Frates. Me-
rita enim & præmia in cælo tanta dabuntur,
quanta erit humilitas & Dei amor in hac virâ,
ut docent sancti. Ideo Christus Dominus ob-
6. 7. 8. philip. 2. has virtutes, adeo in cælis & in terra exaltatus
est à Deo Patre teste Apostolo: *Cum in forma
Dei esset semetipsum exinanivit formam serui accipiens,
humilitatem semetipsum, obediens usque ad mortem:
propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi
nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Iesu
omne genus electetur, caelestium, terrestrium & infero-
rum &c.* Quocirca si Christus Dominus etiam
26. 27. eos qui præfunt alii, voluit animo esse veluti
seruos aliorum: *Quicunque voluerit inter vos maior
fieri, sit uester minister. & qui voluerit inter vos primus
esse, erit uester seruus;* quātū magis eos qui ad
seruitia Domus vocati sunt à Deo, & sponte
hunc statum humilem elegerunt, par est, ut se
gerant more verorum seruorum? Ad quod ex-
citari debent etiam Christi Domini exemplo, ^{Matt.}
qui dixit de se ipso: *Filius hominis non venit mini-
strari, sed ministrare.* Quod Christi exemplum
ponderans S. Basilius, *sicut minoribus ita, inquit,*
*qua abiectiora sunt, aliquid exercendum sit, fire con-
uenit, Saluatorem quoque ipsum Discipula ministraſſe,*
*& abiectiora opera facere non recusasse, magnumq; *homini esse, si Dei initiator existat: cū per haec qua hu-
milia sunt, ad altitudinem illa, quod illum est initia-
tus, tendat.* Ideo S. Bonaventura monet: *Non ſo-
rum maioribus sed ſibi etiam iniuciem obedientiam cer-
tatim impendant. Incumbit Christi discipulo, ut omni i-pat. 14.**

5. *ro. 1. spec.*
Si ergo Filius Dei venit in Eph. 1. au-
*mundum propter te, ut ministro, etiam tu vo-
catus ab eo ad ministrandum fratribus eius &
tuis, debes te gerere, non tanquam æqualis, sed
tanquam seruus, hoc est, minister eorum, non
quidem ex obligatione status tui, sed ex amore
Christi Domini, ut eum imiteris, eiusque humili-
tatem & caritatem æmuleris, qui dixit: *Ego in Lue. 2.
medio vestri sum, ficut qui ministrat.* *Divina enim vir. 27.
tus, inquit S. Isidorus Pelusiota, in infirmitate per-
ficitur, quemadmodum ab electionis Vase dictum epi. 2. Cor.*
*Quandoquidem illiterati homines, disertos & eloquie-
tes superant, & publicani paupertatem predican. Atque
etiam Dominus ipse, non regia autoritate, sed
seruili vilitate ad incarnationem, omni sermonis facul-
tate sublimiore vñs, rerum immutationem ad cæle-
viendi genus transtulit. Ideo S. Pachomius Ab-
bas, quātū effit spiritualibus artibus occupatus, ^{1. ep.} sc. 1. 1. 1. 1.
quando tamen acciderat, ut abeffet is, cui monasterij
curam commiserat, sic adimplebat omnia solus, vñl-
omnium famulus. Et S. Hugo Episcopus Gratia, ^{Sor. ro. 1.}
nopolitanus, cūm secessisset ad solitudinem ^{1. Ap. 1.}
Carthusia, mansurus cum S. Brunone funda-
tore Carthusianorum aliquandiu & cum eis
sociis, mansit non ut Dominus aut Episcopus,
sed ut Frater humilissimus ad cunctorum, quantu-
m in ipso erat, obsequia paratissimus, adeo,
quod penè omnia ad humilitatem spectantia
præpararet officia, & non ut Episcopus, sed po-
tiū conuersaretur ut famulus, cuncta parti-
piens opera seruilia, adeo fernenter, ut domesti-
ci conquerentur, ab eo ſibi cuncta præcipi. Hac
ergo etiam imitentur. Ideo Beata quoque Clara
de Monte Falco corporis integratæ, & Chilli
Passionis mysteriis, in eius corde diuinis im-
pressis, charissima, in Congregationem Deo di-
catarum Virginum admissa, earum è numero
volet esse, quæ non ad Chorum, sed ad ser-
uitia aliarum deputata erant: quod cum ei per-
missum non fuisset, ut scribit Baptista Pergillus, ^{2. p. 1. 1.}
in eius vita; tanquam seruam omnium reputabat,
& pro tali gerebat. Ideo tanquam serua omnium se to-
tā vitā ſua gefit, occupanda ſe in maximè omnium
vilibus officiis & seruitis domus. Suscepit enim in
ſe domum verrere, in culina seruire, in valetudinario,
refar-**

refarcire vestes Monialium, & hu[m] similitudine faciendo omnia cum tanto gustu anima sue, ut multoties extasim patetur. Cum quodam die illam interrogasset, quodam Monialis, cur semper vellet se occupare in officiis vilibus, respondit: Miror quomodo Monialis recusat laborare & exercere officia etiam vilissima: tibi fateor, men hoc sentire tantum gustum, vt vellem semper inueniri occupata in illis. Cum seruiret Monialibus, imaginabatur se seruire tot Angelii Paradysi, vnde reputabat se indignam hoc seruitio: & sep[tem]bre dixit: Nimirum nobilis est pro me, hoc seruitum, & conuenientius esset mea conditione, seruire leprosum & derelictis ab omnibus. Sic etiam sanctus ille coquus, visus a Sancto Ioanne Climaco, in quodam Monasterio, cum ab eo interrogatus fuisset: quomodo perpetuo culinæ assistens, in frequenti & perpetuo ministerio haberet menem Deo vnsicam, & donum lacrymarum, & simplex orasset, vt ei reuelare dignaretur, quoniam modo menisset illiusmodi Dei gratiam, tandem precib[us] fatigatus S. Climaci, ita respondit: Nunquam me hominibus seruire arbitratus sum, sed Deo, & indignum me ipsum quiete omni iudicans, ex huius ignis contemplatione, sempiterni incendi[us] iugi memoria compangor.

Tali humilitatis spiritu imbuta S. Euphrasia Virgo, et si esset ex Regio sanguine orta, & Imperatoribus sanguine innata, tamen Monialibus, cum facta esset Monialis, tanquam omnium serua, omnium ministeria manualia obiavit, cum summa alacritate & letitiae, quamvis aliisque Moniales, eam irritiderent. Hoc autem tanto libertius fecit, quia mater eius, dum eam monasticae vita tradiceret, id optantem & summis precibus orantem, sic ei sciens se breui mortuariam ex Diuina revelatione, dixerat: Deum time, & dominas forores venerare, seruens eis cum omni humilitate: caue ne vnguam cogites in animo tuo: Regio sum prognata sanguine, nec me istis seruire par est. Si interim pauper in terris, vt quandoque diues efficiari in celo. Et ita primum per dies quatuor in hebdomada, postea integris septimanis, vt consueverat, iejuna permanens noctes sine sonno transiens, cum omnium humilitate, (in etate tenera,) mansuetudine & animi incunditate, fororibus cunctis officiis in seruiebat, p[ro]p[ter]e ad mortem. Nam adhuc pridie mortis panes coquabat. Mortua anno trigesimo atatis.

Hoc spixi imbutus, etiam sanctus ille vir, P. Balthasar Aluarez, cum esset Superior subditos regebat non tanquam Dominus, sed tanquam serua Dominis suis seruiebat, considerans hoc in eis, quod pro eis Christus mortuus est; & seruire illis proprie Christum, magna felicitate sua tribuebat, nec operabit, vt subditi et gratias agerent proper talia obsequia, vt e[st]o priora ipse Dominus acceptaret, quod illa erant minus nota, minoresq[ue] gratia ab hominibus habita.

Agnoscet hanc veritatem ex diuino lumine sanctus ille Laicus & noster Coadiutor, adeo laudatus a P. Balthasare Aluarez in vita & post mortem, Joannes Ximenez, Nam cum co-

silio cuiusdam Eremitæ iret Valentiam, vt Societatem nostram intraret, & diabolus in medio itinere accedens, id dissuaderet, fuit ab illa tentatione liberatus, postquam votum emisit intrandi Societatem, non alium ob finem, quam vt esset seruus omnium. Tale autem votum fecit: Deus ego tibi promitto, me ituram, vt Patribus illis amore tui seruiam: promitto etiam tibi, Deus meus, nihil me facturum, quod non sit amoris tui causa. Ego enim nescio quod eam, vt alciu seruam, nisi tibi, qui Deus meus es et Domini meus. Atque ita receptus, serre semper in predio Collegij Cesaraugustani ruri manebat (quamvis sepe ad Collegium veniebat) & in praedio nocte dieq[ue] tanquam mancipium laborabat, ligna in vehiculo, & aquam in vasculo, & res alias, (vti in aliis Provinciis facere solent agazones & rustici, nostri subditi.) Seruitor domesticorum necessarias rehebat: amplectens cum magnâ letitiae, laboriosa ac difficulta munia, in quibus alijs magnam sentiunt repugnantiam, et si non deessent illi contemptus occasionses, ob falsa testimonia in ipsum prolatas, quibus tamen ipse nouit vitiliter vti.

Hic ergo scopus sit Fratum Laicorum, vt ob Christi amorem & imitationem, seruant alios, non tanquam hominibus, sed tanquam ipsi Christo, recepturi mercedem ab illo aeternam, quia promisit in Evangelio: Amen dico vobis, quod Matth. diu fecisti vni ex his fratribus meis minimis, mihi se- 25.40. cisti. Quod si vni soli fratri seruitia exhibita, Christis reputat pro exhibitis sibi, quanto magis, si exhibebuntur no[n] vni soli, sed multis in uno Domicilio existentibus, qui pro Christo mundum & omnia reliquerunt.

Ideo cum P. Balthasar Aluarez ex suo Nonitiatu missus fuisset ad vicinum Collegium vt P. 9. cocci officium obiret, adeo serio per menses aliquot officium illud egit, atque si tota vita in eo fuisset occupandus, negligens omnino se ac res suas, nec cogitans de mutatione loci & officij, solusq[ue] attendens, quomodo soli Deo placaret, in cuius domo, (vt ipse aetabat,) nullum inuenitur officium vile aut occupatio, qua non sit in magno honore habenda, relinquendo eius durationis tempus, prouidentia Dei, qui per Superiores id rotum confidit. Non mirum ergo est, quod hanc humilitatem & astimationem officij culinarij postea Deus ei reuineratus sit, evehendo illum ad eximiam sanctitatem, & eam demonstrando aliis per donum prophetarum, & alias gratias miraculosas: & ei reuelando quod est futurus in celo, & reuelando S. Terefa, quod ille sanctitate superaret, omnes qui tunc viuebant in Ecclesia Dei.

Vit. Alu.
c. 11. §. 2.
pag. 125.

CAP.